

fiabant, Christum figurabant, qui est Sanctus sanctorum, secundum illud 1 ad Cor. 19: Omnia in figura contingebant illis, et Col. 2: Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Nec tamen omnia gesta Patrum veteris Testamenti, vel etiam omnes cæremoniæ legis sunt sacramenta, sed quædam specialiter, sicut in secunda parte habitum est (1. 2, quæst. 401, art. 4). Ergo videtur, quod non omne signum rei sacræ sit sacramentum.

3. Præterea, etiam in novo Testamento multa geruntur in signum alicujus rei sacræ, quæ tamen non dicuntur sacramenta, sicut aspersio aquæ benedictæ, consecratio altaris, et similia. Non ergo omne signum rei sacræ est sacramentum.

Sed contra est, quod definitio convertitur cum definito. Sed quidam definiunt sacramentum per hoc, quod est sacræ rei signum, et hoc etiam videtur ex auctoritate Augustini (in art. præc., arg. Sed cont.) supra inducta. Ergo videtur, quod omne signum rei sacræ, sit sacramentum.

Respondeo dicendum, quod signa proprie dantur hominibus, quorum est, per nota ad ignota pervenire. Et ideo proprie dicitur sacramentum, quod est signum alicujus rei sacræ ad homines pertinentis, ut scilicet, proprie dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.

Ad 1 ergo dicendum, quod creaturæ sensibiles significant aliquid sacrum, scilicet, sapientiam et bonitatem divinam, in quantum sunt in seipsis sacra: non autem in quantum nos per ea sanctificamur. Et ideo non possunt dici sacramenta, secundum quod nunc loquimur de sacramentis.

Ad 2 dicendum, quod quædam ad vetus Testamentum pertinentia significabant sanctitatem Christi, secundum quod in se sanctus est. Quædam vero significabant sanctitatem ejus, in quantum per ea nos sanctificamur, sicut immolatio agni Paschalis significabat immolationem Christi, qua sanctificati sumus. Et talia dicuntur proprie veteris legis sacramenta.

Ad 3 dicendum, quod res denominatur a fine et complemento, dispositio autem non est finis neque perfectio. Et ideo quæ significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur sacramenta (de quibus procedit objectio), sed solum ea quæ significant perfectionem sanctitatis humanæ.

COMMENTARIUS.

Quid sit sacramentum definitur. — Duplex sensus definitionis. — Explicato genere inquit D. Thomas differentiam, ut definitionem sacramenti compleat; et quoniam ratio signi respectiva est, quæ speciem sumit a termino, ideo ex parte rei significatæ per sacramentum, illius definitionem complet, dicens, sacramentum esse signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines, quæ particula reduplicativa duplicem sensum habere potest. Prior est, si cadat supra rem sacram, ita ut sensus sit, sacramentum debere significare rem sacram sanctificantem hominem, et quatenus illum sanctificat. Posterior est, ut reduplicatio cadat in ipsum sacramentum, et sensus sit, sacramentum, quatenus hominem sanctificat, debere esse sacræ rei signum; et quamvis uterque sensus in re sit aliquomodo verus, nam utrumque horum pertinet ad rationem sacramenti, ut postea explicabimus, tamen prior revera est a D. Thoma intentus, qui loquitur de sanctificatione hominis simpliciter, quæ per gratiam fit, ut aperte explicat in solutione ad tertium, et ita est clarus totus contextus. Quomodo autem definitio sic explicata sufficiat ad essentiam sacramenti declarandam, in sequenti disputatione tractabitur.

ARTICULUS III.

Utrum sacramentum sit signum unius rei tantum (4, d. 1, q. 1, art. 1, quæst. 1, ad 4, et art. 3, corp.).

1. Ad 3 sic proceditur. Videtur, quod sacramentum non sit signum, nisi unius rei. Id enim, quo multa significantur, est signum ambiguum, et per consequens fallendi occasio, sicut patet de nominibus æquivocis. Sed omnis fallacia debet removeri a Christiana religione, secundum illud Coloss. 2: Videte, ne quis vos seducat per philosophiam, et inanem fallaciam. Ergo videtur, quod sacramentum non sit signum plurium rerum.

2. Præterea, sicut dictum est (art. præced.), sacramentum significat rem sacram, in quantum est humanæ sanctificationis causa. Sed una sola est causa humanæ sanctificationis, scilicet sanguis Christi, secundum illud Hebr. ult.: Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Ergo videtur, quod sacramentum non significet plura.

3. Præterea, dictum est (art. præced., ad 3), quod sacramentum proprie significat ipsum finem sanctificationis; sed finis sanctificationis est vita æterna, secundum illud Rom. 6: Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam æternam. Ergo videtur, quod sacramentum non significet nisi unam rem, scilicet vitam æternam.

Sed contra est, quod in sacramento altaris est duplex res significata, scilicet, corpus Christi verum, et mysticum, ut August. dicit in lib. sent. Prosperi (de consec., dist. 2, cap. Hoc est quod dicimus).

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. præced.), sacramentum proprie dicitur, quod ordinatur ad significandam nostram sanctificationem. In qua tria possunt considerari, videlicet ipsa causa sanctificationis nostræ, quæ est passio Christi, et forma nostræ sanctificationis, quæ consistit in gratia et virtutibus, et ultimus finis sanctificationis nostræ, qui est vita æterna. Et hæc omnia per sacramenta significantur. Unde sacramentum est, et signum rememorativum ejus quod præcessit, scilicet, passionis Christi, et demonstrativum ejus quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ, et prognosticum, id est, prænuntiativum futuræ gloriæ.

Ad 1 ergo dicendum, quod tunc est signum ambiguum, præbens occasionem fallendi, quando significat multa, quorum unum non ordinatur ad aliud. Sed quando significat multa, secundum quod ex eis quodam ordine efficitur unum, tunc non est signum ambiguum sed certum, sicut hoc nomen homo significat animam et corpus, prout ex eis constituitur humana natura. Et hoc modo sacramentum significat tria prædicta, secundum quod quodam ordine sunt unum.

Ad 2 dicendum, quod sacramentum, in hoc quod significat rem sanctificantem, oportet quod significet effectum, qui intelligitur in ipsa causa sanctificante, prout est sanctificans.

Ad 3 dicendum, quod sufficit ad rationem sacramenti, quod significet perfectionem quæ est forma, nec oportet quod solum significet perfectionem, quæ est finis.

COMMENTARIUS.

Explicatur D. Thomas. — In corpore articuli solum explicat D. Thomas quomodo fieri possit, ut idem sacramentum plura significet, quæ ordinem dicunt ad sanctificationem nostram, vel per modum formæ, vel

per modum causæ efficientis, vel finalis: quod autem hoc sit de ratione sacramenti non probat D. Thomas; imo neque id aperte affirmat, sed solum dicit, hæc omnia significari per sacramenta: fieri autem potest, ut hoc conveniat omnibus sacramentis, quæ nunc habemus, quamvis non sit de ratione sacramenti ut sic, sicut revera non est: potest enim optime definitio sacramenti data præcedenti articulo intelligi atque salvari cum sola significatione formali sanctitatis, sine significatione propria atque immediata causarum ejus. Quin potius, quod omnibus sacramentis conveniat, illa tria significare, scilicet præteritam Christi passionem, præsentem gratiam, et futuram gloriam, asseritur quidem a D. Thoma, non tamen probatur, sed (ut Cajetanus dixit), ex communi modo loquendi omnium, ut clarum sumitur: quod ut verum sit, necessario intelligendum est de sacramentis novæ legis, nam vetera (licet veram rationem sacramenti participant) nec præsentem gratiam, nec futuram gloriam semper significarunt, quæ omnia in sequenti disputatione latius disputabuntur.

DISPUTATIO I.

DE ESSENTIA AC DEFINITIONE SACRAMENTI.

Quid sit sacramentum, primo per rationem metaphysicam, deinde per physicam ostendendum. — Cogimur doctrinæ ordinem aliquantulum invertere, prius, quid sit sacramentum, quam an sit inquirendo (sicut D. Thomas fecit), quia antequam sacramenta esse ostendamus, necesse est exacte intelligere, quid nomine sacramenti significetur: significatio autem hujus vocis tam est conjuncta cum proprietate et essentia ipsius rei, ut sine hujus cognitione non possit intelligi, et ab omni alia æquivoca vel analogâ significatione separari. Dicemus ergo prius de quidditate sacramenti, quam in hac disputatione per rationem metaphysicam generis et differentiæ, in sequenti vero per rationem quasi physicam, scilicet materiæ et formæ, explanabimus.

SECTIO I.

Utrum sacramentum sit sacrum signum aliquam sanctificationem homini conferens, vel significans.

1. Ratio dubitandi. — Non inquiri, an sit hæc propria et exacta definitio sacramenti:

c. 26, hac ratione sacramenta vocat verba visibilia rerum divinarum, et 49 contra Faustum, c. 46, vocat etiam signacula, et epist. 118, cap. 4, dicit sacramenta novæ legis esse signa præstantissima. Sic etiam Bernardus, in serm. de Cœna Dom., sacramentum dicit esse sacrum signum; atque in eodem sensu Græci Patres, sacramenta vocant mysteria, ut supra diximus, quia in significatione sua rem sacram, atque divinam habent reconditam, unde a Dionysio, cap. 4, de Eccl. Hierar., vocantur sacratissima signa, eorumque sacram significationem toto illo libro exponit, et eodem fere modo loquitur, de Cœlesti Hier. Basilius etiam, in exhortatione ad baptismum, seu hom. 13, ex variis, vocat signa mystica, et similiter loquitur in epist. ad Amphiloeh., can. 72 et 80. Martial. etiam, epist. ad Tolosan., cap. 4, vocat, mysteria sacramentorum, per quæ Deo jungimur, quibus verbis utrumque indicat, scilicet, sacramenta et esse sacras cæremonias, et rem sacram significare, scilicet, conjunctionem cum Deo. Quomodo Gregorius Nyss., orat. de baptism., dicit externam ablutionem esse signum internæ, et ideo esse sacramentum, quod eleganter, prosequitur Cyrillus Hier., Catech. 3 illuminatorum, ubi sacramentum signaculum appellat. Tertio probatur ratione, quæ primo (sicut sæpe dictum est) sumenda est ex usu, et impositione, seu accommodatione hujus vocis, Sacramentum. Deinde hæc posterior assertio probari potest ex præcedenti, quia, si sacramentum esse debet cæremonia sacra, et religiosa, non debet esse signum rei prophanæ, et vulgaris; esset enim hic abusus sacrarum cæremoniarum: ergo, si aliquid significare debet ut sacramentum sit, necesse est ut illud sit aliquid sacrum: quin potius ostendemus statim, necesse esse, ut illud sit maxime sacrum, atque reconditum, ut ea ratione possint sacramenta distingui a multis cæremoniis sacris, quæ sacramenta non sunt.

5. *Ad rationem dubii respondetur.* — *In lege veteri non omnes cæremoniæ obtinuerunt rationem sacramenti.* — Ad rationem ergo dubitandi in principio propositam facilis est ex dictis responsio: ad priorem enim partem concedimus multa esse signa rerum sacram, quæ non sunt sacramenta, præsertim si non sint cæremoniæ sacra, ut sunt multa exempla ibi adducta. Ad posteriorem vero partem negatur esse vel fuisse unquam aliquod sacramentum, quod non contulerit vel

significaverit aliquam sanctitatem, aut internam, et perfectam, aut externam saltem, et legalem, qualis per externas cæremonias conferri potest, sicut dictum est de Agno Paschali. Quod si in lege veteri fuerunt aliquæ cæremoniæ, quibus hæc ratio signi, et cæremoniæ sacra, non conveniebant, illæ non fuere sacramenta, sed observantiæ, vel aliquid hujusmodi, ut D. Thomas docet in prædictis locis ex 1. 2 citatis.

6. *Neque omne sacramentum est sacrificium, neque e converso.* — *Differentia inter sacrificium et sacramentum.* — Dubitatio vero, quæ in priori parte illius difficultatis indicatur, aliquos coegit, ut dicerent, quamvis non omne sacramentum sit sacrificium, omne tamen sacrificium esse sacramentum. Ita loquitur Sanderus, lib. 4, de Visib. Monarch., c. 5; favet Augustinus, lib. 40, de Civit., cap. 20, dicens omnia sacrificia vetera fuisse passionis Christi sacramenta. Sed ibi late utitur voce Sacramentum, prout dicitur de quovis sacro signo; tamen loquendo proprie de sacramento, ut loquimur, differt in ratione sua formali a sacrificio; in actione autem, seu re materiali, possunt interdum convenire, sicut in lege gratiæ factum est in mysterio Eucharistiæ, non tamen semper, quia neque omne sacramentum est sacrificium, ut de sex sacramentis legis novæ constat, et in lege veteri multa fuerunt sacrificia, quæ non erant sacramenta, ut D. Thomas docet 1. 2, quæst. 102, art. 3 et 5. Unde, quod Canus, prædicta relectione, p. 4, ad 2, dicit, sacrificium, quod offertur Deo, tantum in cultum, et recognitionem domini, non esse sacramentum, quod vero offertur in expiationem peccati esse sacramentum, non probatur: quia si formaliter loquamur de utroque ut tale est, in neutro ratio sacrificii est eadem cum ratione sacramenti, vel e converso: si autem loquamur materialiter, utraque ratio sacrificii potest conjungi cum ratione sacramenti, ut in Eucharistia videre licet, et utraque etiam potest a ratione sacramenti separari, nam sicut potest institui sacrificium honorarium, vel in gratiarum actionem, quod non sit sacramentum, ita etiam potest institui in expiationem peccati: nihil enim vetat, neque est ulla necessitas utramque rationem conjungendi; quin potius existimo, multa fuisse in veteri lege sacrificia pro peccato, quæ non erant sacramenta, ut D. Thomas loco citato sentit, ex cujus doctrina sumenda est vera respon-

sio ad difficultatem propositam, quam breviter attingam. Dicendum est ergo, sacrificium quidem, et sacramentum convenire in ratione signi sacri, tam ex parte cæremoniæ, quia utrumque esse debet cæremonia religiosa, quam ex parte rei significatæ, quia in utroque esse debet res sacra: differre tamen in re significante, quia sacrificium continet supremum cultum Dei, id est, immediate refertur, et instituitur ad tribuendum cultum Deo, quocumque titulo religionis, vel justitiæ tribuatur, sacramentum vero immediate refertur ad ipsos cultores Dei, quos disponit, seu sanctificat ad cultum Dei. Unde fit, ut sacrificium consistat in actione aliqua, seu oblatione, quæ ad Deum refertur, sacramentum autem in receptione, seu quasi passione, quæ in Dei cultoribus aliquo modo suscipiatur. Et hinc etiam oritur, ut idem sacrificium possit a multis offerri, et omnibus prodesse, unum vero sacramentum, seu usus sacramenti tantum in uno recipiatur, eique tantum prosit. In re autem significata differunt, quia sacrificium per se, et intrinseca ratione sua solum requirit, ut significet divinam excellentiam, et cultum, qui illi præstatur: sacramentum vero potius ordinatur, ut jam dicemus, ad significandam sanctificationem eorum, qui Deum colunt. Unde licet contingat, eandem Christi Passionem, per sacrificium, et sacramentum significari, tamen in hoc ipso est aliqua diversitas, nam per sacrificium significatur, ut fuit oblatio quædam placans Deum, eique summum honorem exhibens, per sacramentum vero, ut applicatur nobis per sanctificationem aliquam, quæ ab illa manat.

SECTIO II.

Quam rem sacram, quamve sanctificationem conferat, aut significet sacramentum, et consequenter, an sacramentum univoce dicatur de sacramentis veteris, et novæ legis.

4. *Sanctificatio duplex, interior, et exterior.* — Quoniam dictum est, sacramentum constitui in genere signi sacri, ut ejus ratio perfecte cognoscatur, duo explicare oportet: unum est, qualis esse debeat res significata, quæ est quasi terminus hujus relationis; alterum, qualis esse debeat res significans, quæ est veluti relationis fundamentum: de hoc dicemus sect. seq., ubi etiam impositionem explicabimus, quæ est veluti ratio fundandi. Ut ergo questioni propositæ respon-

deamus, supponendum est ex Augustino, lib. 2 de Pecc. mer., cap. 26, et serm. 14, de Verbis apost., varios esse sanctificationum modos, quos possumus ad duo membra revocare, quæ ad Hebr. 5 insinuantur: alia enim est sanctificatio interior spiritualis, et coram Deo, quæ fit per gratiam sanctificantem, et potest dici sanctificatio simpliciter: alia vero est sanctificatio externa legalis, et secundum quid: qui modus sanctificationis erat frequens in veteri lege, et ideo hæc significatio hujus vocis frequens est in veteri Testamento, et non solum de hominibus, sed etiam de aliis rebus dicitur: explicandum ergo est a nobis, quæ harum sanctificationum in sacramentis conferatur, aut significetur.

2. *Hæreticorum error confutatur.* — *Signaculum signum etiam est.* — *Sacramenta esse signa, quatenus mysteria indicant, signacula vero, quatenus ea mysteria continent, ex Orig.* — Hæretici ergo hujus temporis de nostris sacramentis ita sentiunt, ut negent esse signa nostræ sanctificationis, unde consequenter negabunt hoc esse de ratione sacramenti; dicunt autem esse signum divinæ benevolentiae, et prædestinationis, vel potius esse sigillum, ac testimonium justitiæ acceptæ per fidem, quam sacramenta excitant ut externa quædam motiva, juxta illud Rom. 4, ubi circumcisio dicitur signaculum justitiæ fidei, quæ fuit in Abraham: ita referunt Lind., Bellar. et alii. Sed hic error, quod attinet ad significationem divinæ benevolentiae, vel prædestinationis, plane est absurdus, quia sacramenta indifferenter pro reprobis, ac prædestinatis instituta sunt: unde significationem habent rerum, quæ utrisque possunt esse communes, alioquin non essent bene instituta, et sæpe haberent falsam significationem. Denique nunquam baptismus, vel aliud sacramentum, etiamsi optima dispositione recipiatur, significat hominem esse prædestinatum: unde enim habere potest significationem hanc, aut quo fundamento affirmatur? Quod vero dicunt de sigillo, et testimonio justitiæ acceptæ per fidem, prout ab eis asseritur, plures errores involvit. Primus est solam fidem justificare. Secundus est sacramenta novæ legis gratiam non conferre, sed solum excitare fidem, atque adeo nullam vim habere ex passione Christi, contra illud ad Ephes. 5: *Mundans eam lavacro aquæ.* Unde baptismus parvulorum sufficit ad confutandum hunc errorem, quia in illis non

supponitur fides ante baptismum : ergo nec iustitia data per fidem : ergo, si baptismus illam non confert, non potest esse sigillum, aut testimonium ejus : quomodo etiam potest baptismus excitare fidem parvuli, qui ratione uti non potest? Denique supponunt, teneri fideles, qui sacramenta suscipiunt, ad credendum certa fide se esse justos, quod plane falsum est, et impossibile sine speciali Dei revelatione. Neque eos quicquam juvat locus ille ad Rom. 4, nam in primis non est ibi sermo de fide viva Abraham, per quam justificatus est, ut latius exposuit Jacobus in sua Epist., cap. 2. Deinde circumcisio non tantum dicitur signaculum, sed etiam signum : signaculum enim dicitur respectu Abraham, qui propter fidem et obedientiam consignatus est divino sigillo, ut multarum gentium pater existeret, ut exponit Chrysostomus Hom. 8, in ad Rom.; signum autem dicitur, tam respectu illius, quam totius posteritatis, et, ut sic, erat sacramentum. Quamquam sano ac meliori sensu etiam posset illud sacramentum, vel baptismus dici signaculum, quo consignantur homines qui sunt de populo Dei, vel Ecclesia : sed hoc ipsum non fit sine significatione alicujus sanctificationis, quia omne sigillum, vel signaculum, signum etiam est, et hoc ipso quod indicat hominem cultui ac religioni deputatum, sanctificationem aliquam significat, et hoc sensu Basilus, lib. de Spiritu Sancto, cap. 42, dicit, Christianos baptismum sanctificari, et consignari, et Hom. 43, vocat baptismum regenerationis lavacrum et sigillum; et Nazianz. orat. 40, dicit esse lavacrum, quia abluit, sigillum, quia significat dominationem. Unde, quod idem Nazianz., orat. 44, in laudem sororis Gorgoniae dicit, baptismum non tam fuisse illi gratiam, quam sigillum, per exaggerationem dictum fuit, ut significaret sanctam illam feminam ante baptismum magnam gratiam fuisse assecutam, et ideo præmisit Greg. illa verba : *Pene, ut audacter loquar*. Sic etiam Hier., ad Eph. 4, circa illa verba : *Signati spiritu promissionis sancto*, dicit : *Qui in regeneratione Spiritum Sanctum acceperit, ab eo signatur, et signum conditoris accipit*; ubi simul dicit baptismum esse signum sanctificationis, et sigillum, quo consignamur. Et idem dici posset de Confirmatione, et Ordine, et suo modo de cæteris sacramentis, præsertim quia, quatenus in se occultant, et quasi consignata habent aliqua divina mysteria, signacula seu sigilla dici possunt. Quomodo

Origenes, l. 4 in ad Rom., paulo post principium, dicit sacramenta esse signa, quatenus mysteria indicant, signacula vero, quatenus ea mysteria continent, et observata habent. Augustinus vero, 49 cont. Faustum, cap. 44, signa et signacula ea vocat, addens eorum virtutem inenarrabiliter valere plurimum.

3. *Sacramenta id efficiunt, quod significant. — Sacramenta significant non solum sanctificationem formalem, sed etiam Christum, ut causam effectivam, et gloriam, ut finem illius. — Significatio gratiæ, gloriæ, Christi, est significatio trium per modum unius. — Differentia inter Eucharistiam, et cætera sacramenta quia cætera immediate gratiam significant, et tribuunt; at Eucharistia mediate. — Omnia nostra sacramenta in usu sunt signa demonstrativa gratiæ præsentis quantum est de se. — Hoc ergo refutato errore, supponamus ut certum, sacramentum novæ legis, et conferre, et significare veram atque interioriorem sanctificationem nostram. Et prior quidem pars de causalitate infra quæst. 62 ex professo tractanda est, et ideo hoc loco solum est supponenda, et ex illa sequitur posterior de significatione, quæ ad præsentem locum magis spectat : quia hæc sacramenta id significant, quod efficiunt, ut Concil. Florent. et Trident. docuere, et probant Scripturæ testimonia paulo ante citata : hæc vero significatio ita explicatur a D. Thoma hic, et cæteris Theologis, ut, scilicet, hæc sacramenta non tantum significant formalem sanctitatem, quæ in nobis recipitur, sed etiam Christum, qui est fons hujus sanctificationis, juxta illud ad Rom. 6 : *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus* : *consepulti enim sumus per baptismum in morte*. Quibus verbis indicat Paulus, baptismum esse signum mortis, et sepulturæ Christi, et statim subdit significare etiam futuram gloriam, et resurrectionem, quæ est finis nostræ sanctificationis : *Ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus, si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul, et resurrectionis erimus*; et similia traduntur de Eucharistia Joan. 6, Luc. 22, 1 ad Cor. 11; atque ita Ecclesia de illo mysterio inquit : *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur*. Et de matrimonio aliquid simile indicatur ad Ephes. 5, de cæteris vero sacramentis non*

sunt tam expressa testimonia, tamen eadem doctrina in eis locum habet, quia omnia habent vim ex passione Christi, et illius nomine ac virtute conferuntur; omnia etiam nobis conferunt spem gloriæ per gratiam : et ideo in omnibus habet locum illa triplex significatio gratiæ, gloriæ, et Christi utriusque auctoris, quæ quia per modum unius fit in ordine ad nostram sanctificationem, ideo hæc absolute dicitur esse significatio horum sacramentorum. Solum est observanda differentia inter Eucharistiam, quæ est sacramentum permanens, habens suam significationem ante usum, et cætera, quæ essentialiter in usu consistunt : nam hæc primo ac proxime significant ac conferunt sanctificationem animæ, propter quam immediate sunt instituta, et ita omnia verba, quæ in illis dicuntur, hoc maxime expriment; at vero sacramentum Eucharistiæ, quod est permanens, proxime et immediate significat ipsum Christum : nam ipse est panis, qui de cælo descendit, quique per verba hujus sacramenti immediate conficitur, ac significatur, et similiter sub speciebus sacramentalibus immediate continetur et significatur; tamen repræsentatur per modum cibi, et consequenter cum ordine ad sanctificationem nostram, quam, et confert, et expressius significat, quando ad usum applicabitur, juxta illud : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Et : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo*. Sic igitur omnibus sacramentis commune est, ut sanctificationem nostram significant, propter quod omnia dicuntur esse signa demonstrativa gratiæ præsentis, scilicet, quantum est de se, nisi ex parte suscipientis adsit impedimentum; et ut omnibus conveniat, intelligendum est, quando applicantur ad usum : nam Eucharistia ante usum non significat gratiam præsentem, nisi velimus dicere, significare gratiam substantialem, quæ est Christus ipse, vel gratuitum effectum, ut loquuntur Scotus, Okam et alii, in princ. 4, quod parum refert, cum de re constet. Dicuntur etiam hæc sacramenta esse signa commemorativa, respectu passionis, et prognostica, respectu gloriæ, quæ omnia habent, ut recte D. Thomas dixit, sine æquivocatione, vel ambiguitate aliqua, quia ex his omnibus quasi completur una integra significatio nostræ sanctificationis perfectæ.

4. *Quæstio de possibili. — Prima sententia. — Jam vero explicandum superest, an hoc,*

quod nostris sacramentis convenit, sit de ratione sacramenti, ut sic. Prima sententia neg., de ratione sacramenti esse, ut vel conferat, vel significet veram, ac perfectam sanctitatem, sed vel hanc, vel quamcumque aliam imperfectam seu legalem. Ita judicat Cano, dict. relect. de Sacram., p. 4, circa fin., quamvis aliis locis ejusdem relectionis aliter loqui videtur. Fundamentum esse potest, quia de ratione sacramenti solum est, ut significet eam sanctitatem, quam conferre potest; sed non est de ratione sacramenti, ut veram sanctitatem conferat, ut patet in multis sacramentis veteribus : ergo neque etiam est de ratione sacramenti idem significare.

5. *Secunda sententia. — Fundamentum hujus sententiæ. — Objectio. — Responsio prima. — Responsio secunda. — Secunda sententia in hac quæst. esse potest, de ratione sacramenti esse, ut conferat, et significet veram sanctitatem; ita sentiunt Magist., in 4, d. 4, et Hugo Victor., in Sum. sent., tract. 4, c. 4, et 4 lib. de Sacram. p. 9, cap. 4, qui in definitione sacramenti ponunt, quod sit visibilis forma invisibilis gratiæ, cujus causa existat : ita exponentes August., 10 de Trin., c. 4, quibus favet idem Augustinus, q. 84 in Levit., dicens, totum fructum visibilium sacramentorum in invisibili gratia positum esse, et 49 cont. Faustum, c. 44, dicens, virtutem sacramentorum inenarrabiliter valere plurimum. Favet etiam definitio sacramenti, quæ ex Gregorio refertur in c. *Multi*, 4, q. 4 reperitur autem apud Isid., l. 6 Etym., c. 44, et Rabban., l. 4 de Instit. cleric., c. 24, scilicet, sacramenta dicuntur : Quia sub tegumento corporalium rerum divina virtus secretius salutem operatur, unde a sacris virtutibus, vel sacris, sacramenta dicuntur. Ratio autem hujus sententiæ esse potest, quia sacramentum solum habet significare eam sanctitatem, quam confert : significat enim, ut signum practicum, et quasi in actu exercito, sanctificationem, quæ per ipsum, vel sub ipso sit, non enim potest aliter recte distingui sacramentum ab aliis signis, quæ quasi speculative eandem sanctificationem significant; sed de ratione sacramenti est, ut significet hoc modo veram atque interioriorem sanctificationem : ergo, ut illam etiam conferat. Quod si objicias, quia antiqua sacramenta non conferebant veram et internam sanctificationem, dupliciter respondent auctores hujus sententiæ. Primo negando assumptionem : Hugo*